



BEATVS B. RHENANVS
LECTORI S.



AD MVNIMVS in operis initio, quibus in libris præcipue sit caute legendus Tertullianus, nunc eidem rei consulturi, libellum hunc adiecimus, cui titulus, Definitiones ecclesiasticorum dogmatū, qui nonnullos Tertulliani lapsus indicat. id quod in illo mirum uideri non debet, quando nō lōgo interuallo post Apostolorum tempora uixit, An. post Christum CL. & ante, cum nihil dum esset à Concilijs definitum, quæ nulla adhuc fuerant, Apostolico illo excepto, cuius Acta faciunt mētionem. Siquidē mirum in modum illorum mihi consilium probatur, qui scriptoribus è quibus lecto-ri sit periculum, uelut antidota quædam apponunt. Sic quidam Philostrati libris de uita Apollonij impostoris, libellum Eusebij *ελεγκτικόν* addiderūt. Eas definitiones cum nuper Strazeburgi reperissem in uetustissimo codice, libenter describēdas suscepit Lucas ille Bathodius non minus bonarum li-
 terarum studio, quàm inculpatis moribus spectabilis. Deinde cum diligen-
 tius perlegerem quas ante degustaram tantum, uidebar mihi illas aliàs ui-
 disse. Excutio bibliothecam meam, & cum Augustini Tomum decimū for-
 te sumpsissem in manus, inuenio quod quærebam. Mirabar illic extare ti-
 tulo Augustini, sed eam admirationem mihi statim ademit aliorū aliquot
 libellorum falsa inscriptio, quos idem tomus complectitur. Mox cœpi con-
 ferre, & inueni xxx. capita addita, nimirū decreta Mileuētani concilij, quod
 contra Pelagium coactum fuit, diui Augustini præsentia nobile & Ansel-
 mi Romanæ ecclesiæ legati, quorū capitum adiectitiorum primū est xxij.
 ultimum uero LI. Porro pergens conferre, cum ad Lxxx. caput uenissem,
 quod de peccatorum uenia tractat, eò loci, ubi publica lamentatione pecca-
 ta prodenda docet, cuius publicæ confessionis seu contestationis, Tertullia-
 nus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, & omnes uete-
 res meminerunt, secreta ista admissorum cōfessione quæ in aurem fit sacer-
 doti prorsus adhuc ignota, sunt autem hæc dogmatis illius uerba: Pœnitē-
 tia aboleri peccata indubitanter credimus, etiamsi in ultimo uitæ spiritu ad-
 missorum pœniteat, & publica lamentatione peccata prodantur: ibi quidā
 in codice typis excuso post publica adiecerat uel supplici, cum uetustū exē-
 plar ante D. annos scriptum, tantum publica habeat. Et in eodē capite pau-
 lo post, ubi legitur: Et ideo quia uoluntas eius non mutatur, siue emenda-
 tione uitæ, si tempus conceditur, siue publica confessione si cōtinuo uita ex-
 ceditur, uenia peccatorum fideliter præsumatur, rursus quispiam recenti-
 oris istius Theologiæ studiosus, cui publica ueterum confessio, uel non erat

L. Batodius.

Definitiones ecclesi-
 asticorū dogmatum
 que extāt inter ope-
 ra Diui Augustini,
 à gemio errore in-
 dicantur.

D. d. cognita